Morbio 27 (3a)

Forma Iuramenti

Ego Marcusantonius Pozzo prepositus ecclesie s. Marie s. Martini loci de Perlede Mediolanen. dioc. Ab
hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque apostolice Romane ecclesie et domino nostro domino Urbano
pape VIII ac eius successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio consensu tractatu vel facto ut vitam
perdant aut membrum seu capiantur contra aliquas eorum personas vel in ipsorum aut ecclesie iniuriam sine sedis apostolice
auctoritate honoris privilegiorum iurium vel apostolicorum statutorum ordinationum reservationum dispositionum seu manda-
torum derogationes vel preiudicium machinationes aut conspirationes fiant et si ac quoties aliquid tractari
sciuero id pro posse ne fiat impediam et quanto citius commode potero eidem domino nostro vel alteri per quem ad
ipsius notitiam pervenire possit significabo. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios
seu litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Ad retinendum et defendendum Papatum
Romanum et Regalia sancti Petri contra omnem hominem adiutor ero. Iura autem honorem privilegia
ac iura quantum in me fuerit potius adaugere et promovere. Statuta ordinationes reservationes
dispositiones et mandata huiusmodi observare ac [illegible] intendere curabo. Legatos sedis eiusdem honorifice
tractabo ac in suis necessitatibus adiuvabo. Hereticos scismaticos et qui aliquem domino nostro
successoribusque predictis rebelles fuerint pro viribus persequar et impugnabo. Possessiones vero ad di-
gnitatem meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo
vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu capituli dicte ecclesie inconsulto Romano Pontifice et
constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium ad ecclesiam inferiorem
spectantium de anno domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic
me Deus adiuvet et hec sancta Dei Evangelia.

V

V

XXIX, 263a

Morbio 27 (3a)

Forma Juramenti

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871310504-12/fragment/page=0002